

non imponunt. Per decursum Judaei, eorumque Protectores non parum vapulant. C. 10. legas: *Si Judei ut Christiani laborarent in agris et silvis et aquis et artificijs ut in mercimonijs, vexatione intellectum dante cicius conuerterentur &c.* Tractatio tota lectu digna est, variaque offert, quae non ante IV. jam Secula scripta fuisse videantur.

X. fol. 271. p. 2. *Hec sunt scripta Magistri Johannis Reutter decretorum doctoris super quaestiones de contractibus.* De hoc Viro nil inveni, nisi gestum ab eo anno 1404. Decanatum Jurid. Facultatis. Judicium, quod ab eo hic fertur, incipit: *Supra scripte quaestiones formate per magistros breuiari et redigi possent ad infra scripta ex quarum determinatione apparet etiam decisio aliarum &c.* Versatur autem circa Jura Principis in Bona cum ecclesiastica, tum profana sibi Subditorum in ordine ad statuendos Censur, eorumque redemptionem.

XI. fol. 273. *Incipiunt aliqua capitula de tractatu libri Reinberi (Sacconi O. P.) primo De causis heresis.* Jam super. Vol. col. 1079. 1264. 1609. de hoc Autore, ejusque Opere in Germania refecto et interpolato diximus. Capitula, quae hic deinceps extant, sunt: *Blasphemie. Heretici dampnant omnia sacramenta. De penitencia. De Vnctione extrema. Errores circa consuetudines Ecclesie. Quomodo heretici noscuntur. Qualiter heretici se ingerunt Dominis. De Modo Examinandi hereticum. In-*

terrogacio. In publica Inquisitione sic fit. Que sint contra fidem catholicam. Quatuor falsa sacramenta katharorum. Decretalis contra hereticos. Exemplar etiam istud Germaniae adaptatum fuisse, patet statim c. 1. ubi dicitur Haereticus quidam nocte tempore yemali per aquam que dicitur ybsa nataffe, item: Psalmis etiam tytullos imponunt, sic Eructauit der maide psalm, Exurgat der rachsaln, De profundis der resalm &c. et multa alia lectu curiosa.

XII. fol. 284. *Quaestiones in I. Librum Sententiarum hoc initio: Circa primum librum sententiarum queritur &c.* Thecae interius vestitae sunt membranis Talmudicis eleganter exaratis.

CLXXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 198
Folior. nunc 362. 4. commode scriptus et in tergo insignitus: *Tomus III. Commentar. in Lucam, fufam, multisque ad varia fidei, morumque capita digressionibus interspersam hujus Evangelii explicationem continet, a fine Cap. VI. usque ad Cap. X. v. 25. porrectam. Caput VII. fol. 4. ita incipit. Cum autem impleffet omnia verba sua &c. Istud est capitulum septimum ewangelij luce et continuatur ad precedentia secundum ny. de lira per hunc modum. Postquam in superioribus b. lucas descripsit christi instructionem &c. Lectam pro Scholis Viennensibus non dubito. Ad marginem fol. 32. ubi de Extaticis agit Commentator,*

tor, adscriptum est: *Hic dicatur de quodam ribaldo in Cremsmünster*. Codex interius utrinque membranis vetusti cujusdam Tractatus Rabbinici vestitus est.

CLXXXVII.

U. 150 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 163. f. per duas columnas probe, sed non una manu scriptus, et a celebri *Thoma Haselbachio*, ut frons loquitur, testamento legatus ad domum Collegij ducalis *Wienne apud fratres predicatores*, ibidem paullo infra ita describitur: *Gorra super Johannem ligamine bono volumine magno asseribus et cute ruffa circumdatus*, quibus *Haselbachius* propria manu subjecit: *Emi a facultate medicine. detur pro libraria domus Collegij 1449*. En igitur *Nicolai Gorani, Gorani, de Gorrain, Gorrenc, Gorham*, quibusdam *Angli*, verius *Galli*, Ord. Praed. circa an. 1295. defuncti Expositionem five *Postillas in Evangelium Johannis*, quae cum ceteris in reliquos Evangelistas *Colon. 1537.* et *Antverp. 1617.* f. typis prodierunt, ut testantur Bibliothecarii Ord. qui de Viro ejusque Scriptis agunt T. I. p. 437. Initium est: *Ecce intelliget seruus meus &c. Quia commendatio auctoris redundat in opus &c. Finis: que Dominus Ipse promisit. Ipso adiuuante qui viuit et regnat &c.*

CLXXXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 40 Folior. 252. f. per duas columnas currente calamo a variis conscriptus Farraginem miscellam exhibet, cujus potiora indicabimus. I. ut e calce adfumo, *Nicolaus de Lira O. M. super Johannem*, ut saepe editus. Init *ἀνεπιγέαφος: Facies aquile desuper ipsorum quatuor &c.* et terminatur: *ad contemplandum facie ad faciem prestante domino &c.*

II. fol. 76. p. 2. Sequuntur *Epistola Jacobi* et *Judae Apostolor.* absque Glossa, et brevicula illa in *Pauli Epistolas Argumenta*, quae etiam in *Bibliis glossatis* leguntur.

III. fol. 78. Monita quaedam Casuistica de instruendis Confitentibus, iuvandis Moribundis, periculis in celebranda Missa occurrentibus.

IV. fol. 79. absque inscriptione Expositio Decalogi, quae inquit: *Audi Israel precepta domini &c.* et est *Henrici de Vrimarya O. Erem. S. Aug.* jam *Vol.* superiore relata.

V. fol. 112. Differtatio in illud: *Et acceperunt corpus Ihesu.* Joh. 19. v. 40. De sacra Coena et diversitate eam accipientium.

VI. fol. 114. Repetitio de *Horis Canonicis* hoc ingressu: *Repetiturus Decr. Presbiteri que est prima sub rubrica de celebr. misse situata et ponitur etiam in decr. pro palea &c.* In XII. Quaestiones materiam hanc exhaurientes divisa est cum mantiffa.

VII. fol. 118. p. 2. ut e calce adfumo: *Stilus curie a Domino*